




Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.

Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.

Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.





1  
2  
3  
4  
5





1747.

1. Thomaskius, Johann David: De jure belli J. R. G. et  
speciatim in interregno.
2. Ayresius, Georgius Haerovicus: De multitudine scortose  
javis belli ex parte communitatiene, in  
Lioni et... Johannis Davidis Brumth... lectio-  
nem cursoriam ac 1745. in ang. de jure belli J. R. G.  
praemissa.
3. Ayresius, Georgius Haerovicus: De necessitate officii  
a juramento calumniae non liberante.
4. Ayresius, Georgius Haerovicus: ad... Philippus  
Georgius de Hese... orationem inauguralia...  
inuitat et simul de fiscalibus calumniis judicaeque  
circa illas ejurantes artifices disserit.
- 5<sup>ae</sup> = Boekmerius, Georgius Haerovicus. De jure privi capis  
circa loca et opera publica. 2 Sempl

1747

6. Eberhart, James Fredericus: *St. leg. III. C. de profes.  
et medic. Dissertation, qua . . . Antonio Aduarero Scip  
. . . summus in utroque jure honores . . . gratulatur*
7. Gebauer, Georgius Christianus: *De optione vel electione  
legati.*
8. Hammeren, Joann. Andreas: *De immobilia possessione  
ejusque probatione imprimis per testes ante insti-  
tuta.*
9. Hammeren, Joann. Andreas: *Dissertationis epistolae de  
practibus academicis, qua . . . Joanni Hunders  
Hannelmeyero . . . summus in utroque jure honores  
gratulatur*
10. Hummannus, Christophorus Augustus: *De vocatione divi-  
na ad ministerium ecclesiasticum*



11. Kahlies, Ludovicius Martini: De exceptione suspecti  
judicis admisso in causis justitiae recursus ad com-  
muni J. R. G. universalis non extendenda nec ulli statuum  
voto opponenda.
12. Krügge, Philippus Carolus, l. b. de: De habitu religionis  
et gentes
13. Linscholtz, M. F. Fredericus: De comibus detractionibus et  
emigrationibus possessionibus castri competentibus
14. Mithnpen, Baldu. Fredericus, de: De castro sine loco  
nominato
15. Schelhornius, G. Georgius: De opinata donationum  
ut superuenientes liberis revocatione
16. Seip, Ludovicius Ludovici: De libertate statuum provin-  
cialium circa Volationem pliarum illustriam patris  
cum a penagiatorem.

17. Wahl, Dr. Pries, Ord. jus. Decanus: Joann. Henrici  
Haußmeyer. . . solennia inauguralia in D. D.  
18. Wahl, Dr. Fridericus, Ord. jus. . . Decanus: et Dr. Georg  
Schelhorni lectionem eursoriam ac D. D. inaug. habita-  
tes innotas et de legitime donandi ratione posse  
factum.  
19. Wahl, Dr. Fridericus: Ord. jus. prodecanus: Antonii  
Lutovici Sep. . . solennia inauguralia in D. D.



~~3,403~~ 7 /  
485

AD

LEG. III. C. DE PROFESS.  
ET MEDIC.  
DISSERTATIO

1747,6

QVA

VIRO CONSULTISSIMO ATQVE  
NOBILISSIMO

ANTONIO LVDOVICO  
SEIP

PYRMONTANO

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

AD D. XXII. OCTOBR. MDCCXXXVII

IPSI COLLATOS

EX ANIMO GRATVLTVR

IOANNES FRIDERICVS EISENHART

I. V. L.



GOTTINGAE

TYPIS IOAN. FRIDER. HAGERI.

s er-  
tam  
quod  
done-  
quo  
s in  
itari  
ricu-  
TE  
aten-  
me-  
sed  
au-  
am,  
sic  
lin-  
ple-  
on-  
or,  
rio-  
uasi  
il-  
lia  
am  
um  
ice  
V.




LEG. III. C. DE PROFESS.  
ET MEDIC.  
DISSERTATIO

VIRI CONSVLTISSIMO ATQVE  
*L. III. C. de Profess. & Med.*

Poëtae nulla immunitatis praerogatiua  
iuantur.







§. I.

**Q**uantam apud Romanam gentem gratiam  
poësis consecuta sit, quantusque etiam  
honor poetis habitus fuerit, dispulsa sci-  
licet caligine, qua prima gentis huius  
tempora laborabant, res nota, & manifesta omni-  
bus est, ac historiarum monumentis satis confir-  
mata. Bellorum enim Romanos inter & Graecos  
gestorum faustissimus is demum euentus fuit, vt  
litterae Graecorum Romam transmigrarent, &  
cum illis poësis genti studiorum cupiditate iam fla-  
granti, innotesceret. Recte igitur cecinit HORA-  
TIUS *L. II. epist. 1. v. 156.*

*Graecia capta ferum victorem cepit & artes  
intulit agresti Latio,*

vt significaret Graeciam bello a Romanis deuictam,  
Romanum victorem, nulla litterarum humaniorum

A

cultura



cultura expositum cepisse. Circa Punica bella, & quidem secundo, magis magisque Romae studia florere coeperunt, inter reliqua autem poësis, cuius amatores multi se professi sunt. Ita enim apud GELLIVM *N. A. L. XVII. c. 21.* SERVIVS dicit:

*Punico bello secundo musa pennato gradu,  
intulit se se bellicosam in Romuli gentem feram.*

Quanto autem honore poëtae ornati fuerint, quantaque veneratione eos coluerint, exemplum Ennii a Catone Romam deducti ostendit, de quo CORN. NEPOS in *vit. Caton. c. 1.* haec habet: *Ex Africa discedens Q. Ennium poëtam deduxerat, quod non minus existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.* His respondent ea, quae de ENNIO LVCRETIVS *L. I. v. 118.* refert:

*Ennius ut noster cecinit qui primus amoeno  
detulit ex Helicone perenni fronte coronam  
per gentes Italas hominum quae clara clueret.*

Tantam vero poëta apud Romanos gratiam sibi conciliauit, vt quoque post fata ipsi statua posita fuerit, quem honorem illi solum adepti sunt, qui de republica bene meruerunt. Affirmat hoc LRVIVS *Lib. XXXVIII. c. 56.* & Romae, inquit, extra portam Capenam in Scipionum monumento, tres statuae sunt: quarum duae P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Q. Ennii. Cum his conueniunt, quae de eodem CICERO in *Orat. pro Archia c. 9.* scribit: *Carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore.* Immo extremis reipublicae





blicae temporibus honor, qui poëtis tribuebatur, adeo auctus est, vt coronarentur, quem ritum imperatores ipsi peregerunt. vid. ROSIN. in *Antiquit. Rom. p. m. 751.* Nil dicam de Virgilio Flacci aliorumque poëtarum laudibus, quos Augustus in deliciis suis habuit, & vniuersa Roma summa veneratione profecuta est.

§. II.

Magnus igitur honor] poësi habitus est, qui vnquam praestantissimae arti tribui potuit. Quae cum ita se habeant, nullum dubium est, quin poëtae vt reliqui artium liberalium magistri immunitatibus atque priuilegiis exornati fuerint; quae tanquam recta praemia proponi solent, quibus omnes ii donentur, quorum merita egregia magna atque illustria sunt. Sed ne vlla quidem constitutio adduci potest, quae hoc confirmaret, & nusquam in eis legibus, quibus priuilegia liberalium artium professorum continentur, poëtarum mentio fit. Id, quo eo facilius appareat, operae pretium erit, ea adducere loca, quae de priuilegiis magistrorum liberalium artium agunt. Sic §. 17. *J. de excusat. tutor. vel curat.* grammatici, rhetores, medici a tutela & cura vacationem habere, dicuntur. Cum hisce verbis conuenit *l. 6. §. 1. D. de excusat. vbi MO- DESTINVS* Ictus, philosophos, rhetores, grammaticos, medicos, illis annumerat, quos a muneribus publicis vacare summi legislatores voluerunt, quod etiam pluribus leges Codicis *tit. de professor. & medicis* confirmant. Immo non solum in illis, quas



quas protuli, legibus, poëtae praeteriti sunt; verum etiam legem habemus expressam, quae poëtas de numero eorum, quibus priuilegia imperitata sunt, eximit, eosque ab omnibus immunitatibus & priuilegiis excludit. Est illa *L. 3. C. de professor. & medic.*, cuius verba notatu dignissima, ita se habent: *poëtae nulla immunitatis praerogatiua iuuantur.* Auctor legis huius est, PHILIPPVS IMPERATOR, dictus ARABS, qui saeculo III. vixit, & quem multi christianam fidem amplexum esse contendunt, EUTROPIVS vero in gentilium superstitione eum obiisse, & post suum ex hac vita discessum inter Deos relatum fuisse *L. VIII. c. 3.* tradit, cuius tamen testimonium, contrariae sententiae non obstat, cum etiam christiani imperatores in Deos relati fuerint, quod satis ostenderunt MENCCKEN *de Augustor. consecrat. & celeb.* SCHÖPFLINVS *de Apotheosi Augustorum.*

## §. III.

Non sine iniuria in distributione priuilegiorum poëtae praeteriti videntur, quod magno illi honori, qui poëtis habitus est, non respondet cum tamen apud Romanos in maiori laude atque dignitate fuerint, ac reliqui liberalium artium magistri. Omnibus enim notum atque manifestum est, medicinam, philosophiam, ac reliquas artes primis temporibus Romanae reipublicae, seruis relictas, solam vero poësin plerumque ab hominibus liberis cultam fuisse. Sed nihilominus poëtis omnes immunitates denegatae fuerunt. Medici enim non solum seruilis





vilis conditionis erant; verum etiam medicorum opera in irrogandis suppliciis utebantur, cuius rei SVETONIVS in *vita Neronis* c. 37. exemplum profert: *mori iussis, inquit, non amplius quam horarium spatium dabat. Ac ne quid morae interueniret, medicos admouebat, qui cunctantes continuo curarent, ita enim vocabat venas mortis causa incidere,* conf. ANONYMI libellus: *medicus Romanus sexaginta solidis aestimatus.* Dignitate & splendore grammaticos & rhetores quoque antecedeabant, qui vilioris & saepissime seruilis conditionis fuerunt, quod ex SVETONIO *de illustr. grammat. c. 3.* satis patet; vbi Lutatium Melissum seruum grammaticum ducentis millibus nummum Q. Catulo emptum, scribit. Immo etiam reliqui artifices & opifices, qui tamen poetis longe sunt postponendi priuilegiis & immunitatibus gaudebant, vt constitutio CONSTANTINI MAGNI imperatoris satis indicat, vid. *L. I. C. de excusat. artif.* vbi Imperator Maximo sic rescribit: *Artifices artium breui subdito comprehensarum, per singulas ciuitates morantes ab vniuersis muneribus vacare praecipimus: siquidem in discendis artibus otium sit accommodandum: quomagis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire,* huic constitutioni notitia horum adiuncta est. Ergo soli poetae priuilegiis & immunitatibus destituti sunt, vt ex illis, quae supra protuli, apparet. Quae cum ita sint, operae pretium esse duxi, diuersas eruditorum sententias, qui in inuestiganda vera legis huius ratione operam suam collocarunt, adferre, meamque illis addere de hac re sententiam, si quid hac in re statuere mihi licet.



§. IV.

CUIACIUS in *Comment. ad C. h. t.* poëtas nullis immunitatibus adfectos fuisse putat, non quod diuini spiritus illi eas non mereantur, sed quia lex deficit. At quoniam tantum honoris atque dignitatis poëtae posteris temporibus consecuti sunt, vt etiam Imperatores eos non solum gratia sua fouerent; verum etiam illis familiariter vterentur, non satis rem tetigisse, mihi videtur, dum in legis defectu veram denegatae illis immunitatis rationem Cuiacius ponit. Cum enim partim dignitatis artium liberalium causa, partim vero propter meritum eorum, qui certam artem profitebantur, priuilegia rerum harum peritis concessa sint, secundum *L. II. C. de Profess. & medic.* sic iure meritoque ista poëtis quoque tribuenda fuissent, neque passi essent summi imperatores, vt lex deficeret, cum apud eos poësis maximum valeret. Neque tam obsecurum atque ignobile fuit poëseos studium, vt ideo neminem ad illud operam suam contulisse & hinc plane poëtas praeteritos fuisse statuamus. Honoribus summis Romanis poëtae visi sunt dignissimi, quare lex deficere non debuit illis. Defectus igitur legis exclusionis huius vera ratio esse nequit, siquidem opifices, imo vilissimi generis homines immunitates acceperunt, solis vero poëtis eae denegatae sunt.

§. V.

Pro sententia Cuiacii militant ANT. FABER in *iurispr. tit. 32.* & SCIPIO GENTILIS *Lib. II. c. 1. parergor.* qui non solum vt verissimum a Cuiacicio





cio dictum esse putat; verum etiam rationem eius rationis reddit, quod olim poëticae honos non fuerit. Vtrumque vero refellit ALBER. GENTILIS in *Comment. ad h. l.*, qui leges de priuilegijs artium professorum ad poëtas quoque applicandas esse existimat, & tributas immunitates esse etiam praceptoribus artis poëticae non minus, quam rhetoribus & reliquis liberalium artium doctoribus, etsi poëtis ipsis non tributae sint. Poëticam enim profitentes eandem habuisse rationem ac aliarum artium doctores exemplo quorundam grammaticorum, qui praeter grammaticam, studium poëseos professi sunt, confirmare annititur. Inuenimus quidem grammaticos, qui praeter grammaticam, artem poëticam tradiderunt, quod teste SVETONIO de *illustr. grammat. c. II.* VALERII CATONIS exemplo, comprobari potest, sed nihilominus reprehendus esse, mihi videtur. Grammaticis enim docendi munus eum in finem demandatum erat, vt grammaticae artis regulas traderent, & ne vlla re aut impedimento a munere suo auocarentur, priuilegia illis concessa sunt. Non igitur ob poësin grammatici a muneribus immunes fuerunt, sed potius, vt pueros in ista arte erudirent, & officio suo satisfacerent, hinc illis aequae ac philosophis & rhetoribus immunitas ab omnibus alijs muneribus & oneribus data est. Quae cum ita se habeant, iure meritoque hanc sententiam reiiciendam esse puto, idque eo magis, quo certius est, similitudinem aliquam circa haec priuilegia locum haud habere. Enim vero priuilegiorum huius generis  
stricta



stricta est interpretatio, quam earum natura secum fert, vt pluribus ostendit, Ill. BÖHMERS in *diff. de finib. priuileg. regun. l. c. II. §. 10.* vbi haec habet: *priuilegia & indiuidua ex voluntate legislatoris iam restricta & determinata sunt, quibus standum finesque priuilegii praescripti stricte seruandi, non extendendi.* Quapropter etiam existimandum esse duco, principes, a quibus haec priuilegia doctoribus liberalium artium tributa sunt, poëtarum seorsum mentionem fecisse, si poëtas iisdem immunitatibus & priuilegiis adficere voluissent.

§. VI.

Neque mihi placent, quae CASPAR BARTHIVS in *aduersariis c. 4.* hanc in rem disputat, scilicet paupertatem veram esse rationem, quare poëtae ab omnibus priuilegiis & immunitatibus exclusi sint. Ad hanc stabiliendam sententiam argumentum ex eo petit, quia primis Romanae reipublicae temporibus poëtas egenos homines fuisse, conuiuia captantes & laudes patronorum pro victu & prandio canentes, inuenimus, tales scilicet homines, quales eos describit GELLIUS *L. II. c. 2. N. A.* Ratione quidem firmiori haec sententia nititur ac CUIACII coniectura, quam supra memoraui. Siquidem priuilegia tantum iis personis concedi solent, quorum in rem publicam merita ita comparata sunt, vt remunerationem quandam mereant. At multa habeo, quae mihi dubium mouent, vt neutiquam exclusionem poëtarum ab immunitatibus & priuilegiis fordido vitae generi & paupertati



tati adscribendam esse, prorsus mihi sit persuasum. Quamuis eos summa presserit rerum inopia, eo-que redegerit, ut more mendicorum diuitem laudes pro victu & prandio canere in epulis coacti fuerint; attamen haec denegatae immunitatis ratio, quam BARTHIVS adducit, nondum extra omnem dubitationis aleam posita est, cum miserrima ista poetarum facies ad breue & exiguum tempus tantum durauerit. Melior enim fors posteris temporibus poetis arridebat, gratia scilicet summorum imperatorum & Maecenatum, qui eos non solum fouerunt; verum etiam honoribus, muneribus atque diuitiis quam largissime adfecerunt. Quum etiam iam ante PHILIPPI imperatoris aetatem poetae apud omnes in maxima existimatione essent, non video, quae BARTHIVM mouerunt, ut paupertatis causa poetas immunitatibus atque priuilegiis destitutos fuisse, statuerit, quae tamen hominibus vilioris conditionis tributa sunt. Immo tantum abest, ut a paupertate argumentum hac in re peti possit, ut potius ea legum conditoribus ad concedendas quoque poetis immunitates sufficienti incitamento fuisset, siquidem multo laudabilius est pauperi subuenire, quam diuiti. Eum quoque in finem pauperes priuilegiis muniti sunt, ne in quaerenda vitae sustentatione impedirentur, arg. §. 7. *J. de excusat. tutor. vel curat. L. 4. §. 2. D. de muner. & honor. L. 4. C. quemadm. ciuil. muner. induc. L. 4. C. de his, qui num. liber. vel paupert. excuseruer.* ex quibus omnibus facile intelligitur, merito haec leges, si alias legibus standum est, quae



quae in pauperum fauorem latae sunt, ad poëtas quoque extendendas esse.

§. VII.

Propius veritatem adcedunt, quae FRANCISCVS DE AMAYA in comment. ad h. t. scribit: *quare ego dicerem, ait, poëtis denegatam immunitatem, quia cum poëta nascatur magis, quam fiat, & vena sit quoddam naturae donum ex excellentiori ingenio proueniens generosus ille & diuinior spiritus plausu & laudibus tantum contentus est, & sic praemium nullum aut maius dari potuit diuinæ illi arti.* Fuit hoc quidem veterum de poëtis iudicium, quod aevi sui ratio secum ita ferebat, immo TVLLII testimonio, ea quae Amaya tradit, confirmari possunt, siquidem in oratione pro Archia poëta habita, idem de poëtis iudicium tulit: *poëtam, inquit, magis valere & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu affari.* Quia itaque Romani poëseos facultatem pro dono Deorum habuerunt, hinc in mentem sibi FRANC. DE AMAYA induxit, eos quoque sibi persuasisse, immunitates atque priuilegia munuscula esse nimis exigua & nulla in re cum poëtarum laudibus & meritis comparanda, neque diuinis illis ingeniis conuenientia. Mihi certe sententiam viri huius accuratius examinanti, ratio non innotescit, quare poëtae immunitatibus & priuilegiis non opus habuerint, quod diuino pollere spiritu credebantur. Quae si vera fuissent, optimo iure omnibus istis rebus exornandi fuissent, quo hisce signis honorem atque existimationem, quam





quam haberent, cognoscere potuissent. Quum enim priuilegia ob merita quoque certis personis indulgeantur, certe honor poëtarum nulla re magis augeri potuisset, ac priuilegiis. Satis ex oratione C I C E R O N I S pro Archia poëta id apparet. Quodsi poëtae ob diuinum spiritum priuilegiis non indignissent, inanem certe laborem suscepisse Tullius dicendus esset, qui adeo ciues suos exhortatus est, vt Archias in ciuitatem reciperetur, & honoris ac iurium ciuis Romani particeps fieret. Quid opus fuisset principi eloquentiae septem Graeciae urbium exemplum proferre, earumque contentione argumento uti, quo ciuibus suis persuaderet, quanto esset honori, poëtam ciuem habere. Solum enim poëtae nomen, quod Archias ferebat, Romanos iam excitare potuisset, talem virum ciuitate donare & ciuem venerari. At haec omnia non efficere potuerunt, vt ideo iure ciuitatis Romanae Archias dignus videretur, quod poëta esset & diuino spiritu gauderet.

## §. VIII.

Nolo autem longius recensendis aliorum virorum sententiis immorari, meam tantum illis nunc additurus. Ex his, quae hucusque adduxi, satis apparet, grammaticos, rhetores, philosophos, medicos priuilegiis exornatos, solam vero poëtarum nationem earum fuisse expertem. Quae cum ita se habeant, nunc disquirendum erit, quaenam vera huius exclusionis ratio sit, quam ego in statu Romanorum publico sitam esse arbitror. Aliter autem res se habuit cum grammaticis reliquisque libera-



beralium artium professoribus quam poëtis. Bene enim experientia magistra Romani intellexerunt, rempublicam suam ex nullo alio studio maiora incrementa atque emolumenta capere posse, quam ex eloquentia & arte militari. Hinc quoque factum est, ut scholas conderent, atque pueros grammaticis & rhetoribus erudiendos traderent. Eloquentiae autem studium reipublicae suae maximam adferre vtilitatem arbitrabantur, quod homines ad munera amplissima grauissimaeque feliciter gerenda idoneos redderet, hinc filios suos mature in istis artibus informari curabant, quo ad haec omnia olim suscipienda praepararentur. Obseruandum igitur est, Romanos duas maxime coluisse artes, eoque omne suum studium retulisse, eloquentiam scilicet & artem militarem, quibus disciplinis omnem reipublicae suae salutem niti, sibi persuaserant. Ab eloquentiae studio incipiebant, ut ad fora se applicare & litigantium causas perorare valerent. Cum illa iurisprudentiam coniungebant, qui vero aliud vitae genus sibi elegerat, disciplinae militari operam dabat. vid. ANT. THYSIVS in *Roma illustr.* p. 336. Hinc etiam historiarum monumenta tot tantaque virorum illustrium exempla nobis exhibent, qui in hisce studiis omnem suam operam collocarunt. Sic de Iulio Caesare SVETONIUS in eius vita c. LV. haec habet: *eloquentia militari, qua re aut aequavit praestantissimorum gloriam, aut excessit, post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est.* Certe CICERO testis hac in re omni exceptione maior, ad Brutum  
de





de clar. orat. oratores enumerans, negat: se videre, cui Caesar debeat cedere, additque, eum elegantem, splendidam quoque ac etiam magnificam ac generosam quodammodo rationem dicendi tenere, porro, illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime, & denique, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris & iis quibus reconditis exquisitis summoque studio & diligentia est consecutus. De Octavio Augusto SVETONIUS c. LXXXIII. in vit. Oct. Aug. haec habet: Eloquentiam studiaque liberalia ab aetate prima cupide & laboriosissime exercuit, & c. LXXXVI. genus eloquendi secutus est elegans & temperatum, vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate & reconditorum verborum, ut ipse dicit foëtoribus.

Plura facile proferre possem virorum maximorum exempla, qui eloquentia excelluerunt, si huic rei diutius immorari placeret, sed vid. CICERO de clar. orat. & TACITVS de orator. qui eos ordine recensent. Nil igitur dicam de Luculli, Syllae, Crassi, Pompeii aliorumque magnorum virorum eloquentia, quos Cicero l. c. summis laudibus extollit.

### §. IX.

Haec igitur Romanorum in eloquentiae studio propensio certissimaque persuasio, solum illud salurem reipublicae promouere, efficiebat, ut passim in vrbe scholas grammaticas & rhetoricas instituerent, atque magistros harum rerum peritos illis praeficerent, qui iuuentutem a prima aetate in illis studiis, quae ad florem & splendorem reipublicae





blicae non solum conseruandum, verum etiam amplificandum, spectabant, erudirent. Opus igitur erat vt hi quibus haec cura demandata erat, priuilegijs & immunitatibus exornarentur. Bene enim intellexit, sapientissima gens, ad vtilitatem publicam quam maxime pertinere, professoribus litterarum, praemia, honores. mercedes & immunitates proponere, quo illi ad suscipiendum docendi munus inuitarentur, & in docendo non impedirentur. In hoc igitur vera ratio mihi posita esse videtur, quare grammaticis & rhetoribus immunitates datae sunt, quod ex eo quoque patet, quod istas immunitates ad illos non applicarunt, qui extra numerum constitutum grammaticam aut rhetoricam tradiderunt, arg. *L. 6. §. 2. D. de excusat. L. 9. D. de vacat. & excusat. muner.* Quod autem ad philosophos & medicos attinet, eadem ratio in illis obtinet. Medicos ciuitate Caesar donauit, teste *SVE TONIO C. XLII. in vit. Caesar.* vbi de illo scribit: *omnesque medicinam professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi urbem incoherent, & caeteri appeterent, ciuitate donauit.* Reliquorum autem artium liberalium magistrorum immunitates inuenimus confirmatas *L. 2. §. 8. L. 8. §. 4. D. de vacat. & excusat. muner.* quemadmodum vero ob docendi munus grammaticis a muneribus publicis vacantia concessa est, ita medici eam obtinuerunt, quia reipublicae causa saepius abesse cogebantur *L. 6. §. 1. D. de excus. L. 1. C. de prof. & medic.* hinc etiam saepissime eos circulatores dictos esse inuenimus *L. 6. §. 1. D. de excus.*, quia medicis impositum erat, vt regiones



giones permigrarent & aegrotos iuuarent, quapropter *circulator* minime infamem medicamentorum nundinatorem denotat. Saepius etiam cum imperatoribus ad bellum proficiscebantur, & *Chirurgi* dicebantur, vt indicat marmor apud MANVT. in *Orthogr.* p. 243.

CARESTE. CONSERVAE. ET. CONIVGI  
GELASIVS. ANTINOVS. DRVSI.  
MEDICVS. CHIRVRG.  
BENE. MERENTI. FECIT. EA. VI-  
XIT. AN. XVII.

Institutis quoque scholis philosophicis, philosophi quoque easdem adepti sunt immunitates, ne scilicet aliis negotiis a docendi munere auocarentur, imprimis ANTONINVS PIVS honoribus atque stipendiis eos abundanter exornauit. IVL. CAPITOL. vit. Ant. L. XI.

§. X.

Haec de Grammaticis, rhetoribus & medicis. Longe aliter cum poetis res se habet, quibus in scholis publicis, quae Romae florebant, nullus locus datus erat, neque docendi munus demandatum, quam ob causam igitur ratio priuilegiorum in illis quoque cessat. Ad promouendum enim reipublicae suae florem & splendorem non opus esse hac arte Romani iudicarunt, nilque utilitatis ad salutem publicam adferre, sed iis potius studiis illam adscribendam esse putarunt, quae magis iucunditatis quam utilitatis causa addiscere solebant. Audiamus

mus





MUS NASONEM quem parens de nimio in poëticam artem ardore increpauit:

*Saepe pater dixit: studium quid inutile tentas?*

*Maeonides nullas ipse reliquit opes.*

*Trist. L. IV. 10.*

Tantum quidem abest, vt odium in excellentissimam hanc artem Romana gens habuerit, & cum Platone e republica bene ordinata poëtas extirpandos esse censuerit, vt potius illi magnum omnino delectamentum inesse, bene intellexerit. Habemus certissima huius rei testimonia, quae sufficienti sunt exemplo, non abhorruisse Romanos poësin, sed eam inter illa retulisse, quae plerisque eximia sunt & praeclara. Ita enim Scipio & Laelius Terentium adiuuasse putabantur, vt obseruat. DONAT. in vita TERENTII & in notis ad eum. vid. *Prolog. Adelph.* vbi poëta his versiculis id fatetur:

*Nam quod istic dicunt maleuoli homines, nobiles eum adiutare assidueque vna scribere quod illi maledictum uehemens esse existimant, eam laudem hic duxit maxumam, cum illis placet qui vobis vniuersis, & populo placent.*

immo inter coenandum poëtas audiebant *Suet. vit. Terent.* Ast cum vtile iucundo, & ea, quae conferuarent, & amplificarent reipublicae florem, reliquis omnibus praeferenda esse existimarent, facile intelligitur, quare in distribuendis immunitatibus soli poëtae praeteriti sint.





## §. XI.

Aliae quoque adduci possunt caussae, quae Romanos mouerunt, vt poëticae arti in scholis nullum locum destinauerint, neque praecceptores huius artis publicos instituerint. Superstitio enim eorum mentes ita occupauit, vt poëtam nasci, non fieri, sibi persuaderent, immo illos diuino spiritu praeditos esse, putarent, quo instinctu atque inflatu diuino agitante futura vaticinari valerent. Hinc eos etiam *vates* dictos fuisse inuenimus, immo *sancti* vocabantur, vt ex oratione CICERONIS pro ARCHIA apparet, vbi dicit: *quare suo iure noster Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.* Addenda hisce verbis sunt illa, quae idem Lib. I. c. 37. *diuinat.* scribit: *atque etiam illa concitatio declarat, vim in animis esse diuinam, negat enim sine furore Democritus, quenquam poëtam magnum esse posse, quod idem dicit Plato.* Huc etiam referenda sunt, quae de illa vi diuina poëtis innata, OVIDIVS Lib. III. *eleg. 9. Amor.* Tibulli incomparabilis poëtae & amici mortem praematuram desens, habet:

*At sacri vates & diuum cura vocamur:*

*Sunt etiam qui nos numen habere putent.*

& Lib. VI. *Fastor. v. 5. 6.*

*Est Deus in nobis: agitante calescimus illo,*

*Impetus hic sacrae femina mentis habet.*

C

Plura



Plura exempla apud POLYDOR. VIRGILIVM *de rer. inuentor. c. 34.* leguntur, quae omnia de superstitione agunt, quam veteres de spiritu isto poetico fouerunt. Idem de Velleda & Aurinia sua veteres Germaniae populos credidisse patet ex TACITO *de Morib. Germ. c. VIII.* quarum alteram prosperas Germanis res & excidium legionum praedixisse IDEM refert *Histor. Lib. IV. c. 61.* Eueniebat igitur, vt poeseos artem sub nullas regulas cadere, sed iam a natura Deorum munere poetis insitam esse, arbitrati sint, hinc nemini mirum videri debet, eos illam iis artibus non annumerasse, quae in scholis traduntur, quae opinio forte occasionem dedit, vt illam reipublicae minus necessariam esse, & ad salutem reipublicae parum adferre existimauerint.

§. XII.

Aliter de poeti Romanos posteris temporibus cogitasse, atque superstitionem istam deposuisse inuenimus. Teste SVETONIO *de illustr. Grammat.* multi grammaticorum poeticam artem callentes, eam professi sunt. Habemus exemplum VALERII CATONIS, de quo *c. XI. l. c.* scribit: *praeter grammaticos libellos etiam poemata scripsit, ex quibus praecipue probantur Lydia & Diana.* De CAECILIO idem *l. c. c. XVI.* hoc affirmat. Immo Romanos in scholis legisse poetas ex QUINTILIANO *Inst. Orat. l. 13.* patet, vbi ait: *optime institutum est, vt*





vt ab Homero atque Virgilio lectio inciperet, & paulo post, *vtiles tragoedi, alunt & Lyrici*. Ita etiam poëtae collegia sua habuerunt, in quibus conuenire & carmina sua recitare solebant, vt WEBER in *histor. ling. lat.* obseruat. Sed haec omnia Romanos poësin magni quidem fecisse probant, non autem ex his apparet, grammaticis aliisque liberalium artium magistris impositum fuisse, vt illam publice traderent, qui si itaque immunitates ac priuilegia acceperunt, solummodo eas adepti sunt, quod grammaticam docuerunt. Collegia quoque poëtarum eum ad finem tantum instituta sunt, vt poëtae se exercendi, & auditores iudicium de illis ferendi occasionem habeant.

## §. XIII.

Tandem quoque ad nostram confirmandam sententiam, quod Romani poësin ad vtilitatem publicam nihil adferre putarint, & ideo nullos huius artis magistros publicos instituerint, adcedit, quod raro ab hominibus vilioris conditionis culta est, sed tantum ab illustribus, diuitibus & splendidissima munera gerentibus, hi vero iam ratione horum munerum priuilegiis & immunitatibus gaudebant. Otium enim suum in hac arte tantum posuerunt, quo in maximis suis curis animi relaxationem habeant. Alii vero, licet nulla munera publica obierint; tamen imperatorum atque Maecenatum summorum gratia fruebantur, quae illis omnium fuit





instar immunitatum. Non est igitur, quod poëtas doleamus, eosque in distribuendis privilegiis non sine iniuria praeteritos fuisse putemus, cum illi, qui in summo honore atque exultatione apud omnes sunt, carere illis animo quieto & tranquillo possint. Absit etiam, ut eos in contemptu habeamus, nam licet hanc artem statui publico parum prodesse existimauerint Romani; non tamen ideo de illa tam inique iudicarunt, sed poëtas amarunt, magnique fecerunt, atque omnium laudibus & honoribus summis dignos habuerunt, quia nihilominus

*Et prodesse volunt, & delectare poëtae*

HORAT. de A. P.  
v. 333.

§. XIV.

Ut summos in utroque iure honores *Tibi Vir*  
*Consultissime* gratularer, de poëtarum ab immunitatis praerogativa exclusionem egi. Meum nunc omnino esset, ipsorum lingua praeclaras animi Tui dotes enarrare. Sed inuito Apolline nati personam eleganter sustinebit magnus poëta  
Batauus \*

*Maste*

\* PETRVS D'ORVILLE in poematib. Amstel. 1740. editis L. III.  
eleg. 2. p. 33. seqq.





*Maeste animo, maeste ——— virtutibus istis!*

*Scena tui dotes pectoris ampla manet,*

*Seu libet intrepida viduas defendere lingua,*

*Pro causa infantum iusta vel arma paras.*

*Seu rigidis scelerum verbis urgere ministros*

*Seu blando miseros ore leuare reos:*

*Sive operam & vigiles patriae impendisse labores*

*Mens Tibi, si quando publica cura vocat.*

*At vos, si sapiitis, miseri, viduaeque reique*

*Orbatus gemino quique parente dolet;*

*Huic agite, huic vestros tuto committite casus*

*Iuraque in ambiguo vestra tenore foro.*

*Non est qui causas ignava proderet voce;*

*Flectere vel pravo iura fauore velit?*

Non



*Non hoc promittit pietas, non ardor honeste,*

*Non hoc mens puro candida lacte magis,*

*Gnauaque sedulitas studiumque insigne sciendi*

*Atque indefessi pectoris ille vigor.*

*Ominor en. Nec auis certe hoc mihi praescia dixit.*

*Esi ratio volucrum pennaque voxque mihi.*

*Ominor en. Campo Tibi quas iam magna sub imo*

*Gloria confurgit, postmodo maior erit.*

*Maior erit certe, venias modo serior aetas*

*Nominaque in terris non moritura dabit.*











ULB Halle

3

005 371 996









AD ~~3,403~~ 7  
789  
1747,6  
LEG. III. C. DE PROFESS.  
ET MEDIC.  
DISSERTATIO

QVA  
VIRO CONSVLTISSIMO ATQVE  
NOBILISSIMO  
ANTONIO LVDOVICO  
SEIP

PYRMONTANO  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
IN ALMA GEORGIA AVGVSTA  
AD D. XXII. OCTOBR. MDCCXXXVII.  
IPSI COLLATOS  
EX ANIMO GRATVLATVR  
IOANNES FRIDERICVS EISENHART  
I. V. L.



GOTTINGAE  
TYPIS IOAN. FRIDER. HAGERI.